



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, 1680

135. An quis incurrat irregularitatem si sciens non contradicat volentibus
alium occidere in vindictam iniuriæ ei illatæ? Et an sit irregularis qui rixam
habens cum Titio admonet occurrentes in sui ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76372)

§. 1. **A**ffirmative respondet Vega *en espejo* tom. 2. c. 12. §. 26. n. 275. ubi sic ait. [El que regebio injuria de otro y ve a sus deudos y amigos querer vengar la injuria, y el no lo prohibe quanto puede sino consiente, si se sigue muerte o cortamiento de miembro esta obligado de culpa y es irregular. Otra cosa feta si lo esforvò quanto pudo.] Ita ille.

2. Verum quia hic casus frequenter potest accidere, non desinam hic adnotare contrariam sententiam docere ex Valquez Turrianum *de censur.* lib. 9. disp. 63. dub. 4. & Hurtado *disp. 2. de irregul. diff. c. num. 3. 4. in fine*, quia in tali casu permittens homicidium; seu illud non impediens, non insuit positive; ergo non est irregularis, quod est valde notandum quia quotidianum, & fundatur in doctrina superius posita, quod non impediens homicidium non incurrit irregularitatem. Hinc à fortiori inferitur contra Barbosam *in collect.* tom. 2. lib. 5. tit. 12. cap. 17. num. 3. Riminaldum *juniorum consil.* 441. num. 31. vol. 4. Olasum *decis.* 104. n. 5. & alios, non esse irregularem, qui rixam habens cum Titio admonet accurrentes, in sui auxilium, ne quid mali Titio inferant. Ita Bonacina *de censur. disp. 7. quest. 4. punct. 8. num. 34.* qui citat Avilam, Henriquez & Reginaldum.

RESOL. CXXXVI.

An si vulneratus vulnere non letali mortuus est, Medici, vel propria incuria, incurritur irregularitas?
Ex p. 4. tract. 2. Ref. 10.

§. 1. **A**ffirmativam sententiam tenet Navarrus *cap. 27. num. 225.* Molina *tract. 3. disp. 32. num. 2.* Gutierrez *in can. qq. lib. 2. cap. 6. num. 9.* Avila *part. 7. disp. 6. sect. 1. dub. 5. concl. 2.* Henriquez *lib. 14. cap. 14. num. 4.* Turrianus *de censur. lib. 9. disp. 64. dub. 1.* Layman *sect. 5. tract. 3. part. 3. cap. 10. num. 5.* Villalobos *in summ. tom. 1. tract. 21. diff. 23. n. 9.* & alii. Ratio est, quia si vulnus illatum non fuisset, mors non accidisset; quare non sola Medici, aut infirmi incuria, sed simul etiam ipsa vulneratio fuit causa mortis. Ergo, &c. Imò Villalobos *loco citato*, asserit. [Han se de ponderar las palabras del texto in cap. ad audientiam de homicidio; in dorso aliquantulum vulneravit, donde se da ad entender que basta herida pequeña si de alli resultò la muerte.]

2. Sed ego negativam sententiam etiam probabilem esse puto, quam docent Sotus *lib. 5. quest. 1. art. 9.* Sylvester *ver. homicidium 2. q. 22.* Caietanus & Argon *in 2. 2. q. 64. art. 8.* Lessius *lib. 2. cap. 9. dub. 15. n. 102.* & Hurtado *disp. 2. de irregul. diff. c. 8. num. 31.* quia etsi vulnus sit aliqua occasio, tamen revera non est causa mortis, sed negligentia, Medici vel ipsius vulnerari, tenebatur enim uterque diligentiam adhibere: ergo illi, qui neglexit, imputandus est effectus, &c. *in cap. significasti 2. de homicidio*, hoc aperte indicatur. Si verò vulnus fuerit leve, non incurritur in nostro casu irregularitatem ita vulnerantem, licet vulneratus moriatur modo quo *suprà*; testantur Layman, Avila, Villalobos *loco citato*, quibus adde Coninch *de Sacram. disp. 18. dub. 9. num. 80.*

RESOL. CXXXVII.

An crimen inducens irregularitatem, si sit occultum, modo sit externum, inducat irregularitatem?
Et notatur, quod & si peccatum occultum communiter irregularitatem non pariat lege Canonica, ab hac tamen lege excipitur homicidium, & peccata, quibus censura est annexa, nam si in ea celebratur, incurritur

irregularitas, & si hac celebratio occulte fiat à suspensio, vel excommunicato. Ex p. 7. tract. 11. & Misc. 2. Refol. 48.

§. 1. **N**egativam sententiam non esse improbabilem censet Baunius *in Theol. mor. part. 2. tract. 11. quest. 3. asser. 4.* ubi sic ait. Etsi sit probabile actum vitiosum, ob quem incurritur irregularitas: etiam occultum, si tamen sit externus, & natura sua talis, ut videri possit, ad eam invehendam sufficere, contrarium tamen probabilitate non vacat. Quod ultimum probat ex duobus decretalibus. Prima Alexandri III. cui initium est, Ex tenore: Gregorii IX. altera, ea que ultima tituli de temporibus ordinationum, interrogatus enim Gregor. an adulteri, similesque viri, ab usu suorum ordinum cohibendi essent? respondit in hæc verba, si proposita crimina, ordine judiciario comprobata, vel alias notoria non fuerint, non debent hi, præter reos homicidii post penitentiam in jam susceptis aut suscipiendis ordinibus impediri. Adde quod à natura abhorreat seipsum iudici puniendum dedere, sique deditio, infamiam tam suo nomini, quam alieno facere, præstat utrumque verò, qui vitio occulto laborans, ejus, aut impedimenti, cujus est causa, veniam sibi à superiori dari postulat.

2. Sed hæc sententia absolute mihi non placet, neque cum Baunio puto probabilem esse. Imò cum Præposito *in 3. part. quest. 5. de irregul. dub. 2. num. 5.* existimo improbabilem esse, & postea ipse Baunius illam limitat, unde sic addit. Notandum tamen quod etsi peccatum occultum, communiter irregularitatem non pariat lege canonum, ab ea tamen lege excipi homicidium, *arg. cap. questum 17. tali de temporibus ordin.* idque propter sceleris enormitatem, & defectum lenitatis.

3. Secundò excipienda sunt peccata quibus censura est annexa, nam si in ea celebratur, incurritur irregularitas; etsi hæc celebratio occulte fiat à suspensio, vel excommunicato.

RESOL. CXXXVIII.

Tutus irregularis absque dispensatione sumpsit primam tonsuram, & postea obtinuit beneficium, dando mediatori magnam pecuniarum summam, quæritur, quid juris?
Et si Titius nolit restituere fructus male perceptos, quod omnis mediatori incumbit?
Et alia curiosa circa hoc inferuntur. Ex p. 11. tract. 5. & Misc. 5. Ref. 1.

§. 1. **D**e hoc casu per litteras ex Germania interrogatus fui, &c.
Dico primò posse irregularem primam tonsuram sumere, docuisse Thomam Hurtadum *var. tom. 2. tract. 12. cap. 1. num. 514.* ubi sic ait.

2. Quare existimo quod licet iste filius, de quo loquimur sit irregularis, tamen collatio beneficii non est ipso jure irrita, quia licet non possit ordines suscipere, tamen potest suscipere primam tonsuram ratione cujus habilis sit ad valide recipiendum beneficium, ut docet Sayr. *de cens. l. 5. cap. 5. n. 15 & 16.* Aloysius Bariola quem citat, & ejus sententiam probabilem reputat Bonacina, *de censur. in comm. disp. 7. de irreg. 9. 1. punct. 1. n. 3.* quia prima tonsura non est proprie ordo, cum nullum habeat ministerium in ordine ad Sacramentum Eucharistiæ, & Sacrificium, sed solum est quædam deputatio ad ordines. Et sic inhabilitas ad ordines quam habet irregularis, præcipue si non sit ex delicto homicidii voluntarii, aut alio, non est extendenda ad primam tonsuram, cum irregularitas sit

Sup. hoc in tom. 7. tr. 1. Ref. 294. Sed Patet, ad med. lege doct. ver. qui n. 104. & alterius §. & ver. ejus not. & in ro. 34. §. Secundum, ad med. & §. Sed ego.

Sup. hoc notando in ref. §. & ver. not. præterita.

Sup. hoc primò sup. in Ref. 12. à princ.

Sup. hoc latè sup. in ref. 13. §. 2. à lin. 2. & in aliis ejus not.